



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi  
Thomæ**

**Suárez, Francisco**

**Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621**

Cap. 2. Satisfit nonnullis difficultatibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

Origines & notionalibus actibus idem sunt 10.

Origines esse idem cum relationibus.

Videntur inter actus notionales, & origines, sed putant has voces esse synonymas. Nam origo actio quaedam est, vel saltem, vt talis concipitur & significatur, nihil enim est aliud, quam generatio, natiuitas, &c. Est ergo origo quidam actus, & non est communis omnibus personis, quia non omnes generant, nec nascuntur, & cetera. Ergo sunt actus proprii, quibus personarum proprietates indicari possunt: sunt ergo actus notionales, quia notio nihil aliud est, quam signum manifestum personae: & ideo quidquid est proprium personarum sub ea ratione notionale dicitur. Vnde vltius inferunt, hos actus in re idem adaequate esse cum relationibus, licet ratione distinguantur, quia relationes, vt formae permanentes, vel asfistentes, origines, vt viae, & quasi in fieri significantur. Quae doctrina recte intellecta vera est, existimo tamen, in illa voce, *actus notionalis*, posse latere aliquam aequiuocationem, quam distinguere necesse est, quia in vno sensu est vera illa identitas, & non in alio.

3.

Actus ergo (iuxta ea, quae dixi libro primo) quo producitur diuina persona, dupliciter accipi potest, scilicet, per modum principij quo, vel per modum actualis productionis, seu viae. Primo modo significatur nomine inlectionis, aut dilectionis, ostendi enim loco citato, hos actus esse principium proximum quo personae producunt, & ex dicendis infra de potentia ad origines, id clarius constabit. Posteriori autem modo significantur actus nominibus generationis, dictionis, & spirationis. Tradiditque hanc distinctionem expresse Henric. in summ. articulo 54. quaestione decima, & quodlibet. 6. quaestione 1. & est consentanea D. Thom. 1. part. quaestione 34. articulo 1. quatenus ratione distinguit intelligere, & dicere, & quaestione 27. articulo 3. & 5. vbi non dicit, processiones diuinas, seu origines esse ipsum intelligere, aut velle, sed esse secundum operationes intelligendi, & volendi. Scotus etiam in 1. distinct. 2. quaestio. 4. & 7. & quodlibet. 1. articulo 2. distinguit actus ipsos immanentes ab originibus, quamuis, non posuerit illos, vt principium quo ipsarum originum, de quo satis citato loco disputatum est. Vbi etiam diximus, ipsummet actum intelligendi, notionaliter appellari, quatenus Pater per illum producit, & non Filius, sicut potentia etiam generatiua sub hac voce quid notionale est. Actus ergo notionalis hoc modo sumptus non dicit de formali relationem, nec potest cum illa adaequate identificari, quia actus intelligendi semper est quid absolutum, & notionaliter sumptus non variat rationem formalem inlectionis, sed connotat modum existendi in Patre sine origine, & coniunctum esse Paternitati, sicut supra dictum est, & idem infra dicemus de potentia generandi, de qua eadem est ratio. Igitur illa doctrina communis, quam reuli, intelligenda est de actu, prout significat actionem seu viam, qui actus non connotatiue tantum, vt sic dicam, sed formaliter, & intrinsece notionalis est, & ideo cum relatione habet adaequatam identitatem, vt ex dicendis constabit.

4.

Superest autem respondendum, quae origo, cum qua relatione habeat praedictam identitatem. Ad quod declarandum supponendum vltius est, sicut in productione creaturae actionem, & passionem distinguimus, ita in Deo distinguimus nostro modo concipiendi originem actiuam, & passiuam, quales sunt generatio, quae per modum actionis significatur, & natiuitas, quae significatur per modum passionis. De origine ergo passiuam, quae est proprius actus passiuus (vt sic dicam) personae productae, omnes docent, esse in re omnino idem cum relatione eiusdem personae productae, scilicet natiuitatem cum Filiatione, & processione cum relatione Spiritus sancti. Quia origo passiuam nihil aliud est, quam via ad terminum productum, quatenus ad illum tendit, haec autem via etiam in rebus creatis nihil aliud est, quam ipse-

Origo passiuam & relatio personae productae idem.

met terminus, vt est in fieri, ad eundem ergo modum diuina concipimus. Hac tamen obseruata differentia, quod licet via, seu passio, & terminus in creaturis modaliter distinguantur, in Deo non habet locum illa distinctio, propter simplicitatem, & quia ibi non est proprium fieri, quantum ad imperfectionem, quam importat, sed ita concipitur, ac si esset. Confirmatur, quia passiuam origo est realis processio: ergo distinguitur realiter a principio producente: ergo est idem adaequate cum persona producta. Tandem, origo passiuam est via ad terminum, ergo est illi proportionata, ergo sicut terminus est persona relatiua, ita origo est via relatiua, vt sic dicam, ergo nihil aliud est, quam ipsamet relatio prout in produci.

Rursus de origine actiuam etiam est communis sententia Theologorum esse idem adaequate cum relatione personae producentis, generationem scilicet cum Paternitate, productionem Spiritus sancti cum spiratione. Teneo Magist. in 1. dist. 26. vbi dicit. *Generatio & natiuitas alijis nominibus sunt Paternitas, & Filiatione*. Quae verba refert, & approbat D. Thom. 1. p. qu. 41. ar. 1. ad 2. Idem Bonauentur. dist. 26. qu. 3. Dur. qu. 2. & distinct. 13. quaestio. 2. & vtroque loco Augustinus, Gabr. Capreol. Scot. dist. 28. quaestio. 2. Argentina distinct. 27. quaestio. 1. Ferr. 4. contra gent. cap. 26. Caiet. Torres, & ceteri moderni dicta quaest. 41. artic. 1. Qui omnes consequenter aiunt, generationem actiuam & passiuam inter se realiter distinguunt. Imo hinc confirmant suam sententiam, quia iuxta sententiam Patrum, quas libro sequenti referemus, persona non solum relationibus, sed etiam originibus distinguuntur, ergo oportet, origines oppositas, quales sunt actiuam, & passiuam, quae inter se distinguuntur, ac relationes illis correspondentes: alias non possent distinguere personas, ergo vnaquaeque origo est idem cum relatione illi proportionata.

Secundo consequenter inferunt, origines actiuas inter se non distinguunt realiter, quia non distinguuntur a relationibus personarum producentium, sed cum illis adaequate sunt idem, supra autem ostendimus, has relationes inter se non distinguunt realiter. Ex quo etiam confirmant intentum, quia generatio, & spiratio non magis inter se opponuntur, quam Paternitas, & relatio spiratoris: ergo non magis distinguuntur inter se: ergo neque ab ipsis relationibus. Tandem Diuus Thomas supra hac ratione totam sententiam confirmat, quia in creaturis actio solum dicit mutationem cum relatione, ergo ablata mutatione nihil potest esse actio, nisi relatio: sed in diuinis originibus omnis mutatio excludenda est, ergo nihil manet, quod possit esse generatio, nisi relatio ipsa Paternitatis. Quod potest confirmari, quia generatio, & Paternitas non opponuntur: ergo nec distinguuntur.

CAPVT II.

Tractatur, & expeditur difficultas circa origines actiuas.

Circa propositam sententiam de adaequata identitate inter relationem principij, & originem actiuam nonnullae difficultates sunt, quas expendere necesse est, vt resolutio melius intelligatur. Prima est, quia in creaturis actio, & passio non distinguuntur a termino producto, & consequenter, nec inter se, (realiter loquimur) quia fieri ipsius termini duplicem habet respectum, vnum ad terminum, in quem tendit, & sic vocatur passio, seu fieri passiuum, alium ad principium, a quo egreditur, & sic vocatur actio, ergo eadem proportionem in diuinis eadem via ad Filium habet vtrumque respectum: ergo eadem, vt tendit ad terminum, erit natiuitas, & vt est a principio, erit generatio. Et

Proinde generatio non erit idem adaequate cum Paternitate, sed potius cum Filiatione, cum qua natiuitas identificatur. Probatur consequentia: tum a paritate rationis, tum quia nos non accommodamus modum hunc concipiendi ad diuina, nisi ex creaturis, & seruando illam proportionem, nullam Deo tribuimus imperfectionem.

2. *Difficultas.* Respondetur, (iuxta rationem tactam ex Diuo Thoma) in creaturis id esse propter viam mutationem, quae veramque fundat relationem. Sed contra hoc argumentor secundo, quia in creatione non est mutatio propria, & nihilominus eadem via, secundum diuersos respectus dictos ad principium, vel terminum, est creatio actiua, & passiua, quae realiter identificatur cum termino, ergo etiam secunda mutatione manet illa identitas. Scio Thomistas ob hanc causam non admittere in creatione actionem ex parte creaturae, sed solum relationem, tamen illam sententiam falsam esse probauit late in Metaphysica. Quia in creatura est dependentia realis a creatore. Et quia eadem res potest varijs actionibus creari. Acciditque quia actus intellectus, vel voluntatis diuinae non potest esse actio, seu principium creandi. Vnde aliqui respondent, in creatore id verum esse, quia relatio creatoris non est realis, nam si talis esset, inquit, ipsa esset sufficiens actio creatiua, in praesentem autem relatio generantis est realis. Sed hoc non recte dicitur, quia quod relatio creatoris sit realis, vel rationis, est quasi accidentarium ipsi productioni, solum enim prouenit ex Dei eminentia, quia incapax est talis relationis accidentalis. Vnde, si per impossibile fingeremus illam relationem esse realem, nihilominus dependentia creaturae eadem, & eisdem rationis esset: ergo eandem rationem actionis haberet. Quod etiam manifeste conuincitur, quia talis relatio est posterior a actione, & ex illa resultat: ergo quamuis relatio esset realis, non tolleretur actio, quae ad illam sequitur.

3. *Difficultas.* Melius posset responderi, quamuis in creatione non interueniat mutatio ex defectu subiecti, interuenire saltem veram dependentiam, in qua possit illa duplex ratio actiua, & passiuae originis fundari, in diuinis vero nec dependentiam esse, & ideo non esse eandem rationem. Sed contra hoc in isto tertio, quia licet non sit dependentia secundum rem, tamen secundum rationem concipitur, per proportionem ad illam tanquam via. Vnde Ioannes Theologus in Concilio Florentino sessione 18. dicit. *Processionem in Deo esse viam ab uno in aliud.* Marcus autem Graecus respondet, *Esse emanationem Spiritus sancti.* In quo non dicitur opposita, sed vtuntur processionis nomine in diuersa significatione: nam interdum sumitur quasi generice, & sic loquitur Ioannes, interdum vero specificiter accommodatur spirationi, & ita loquitur Marcus. Semper igitur origo concipitur, vt via quaedam, vt etiam facetur Diuus Thomas 1. parte, quaestione 40. articulo secundo, & sequentibus. Ergo hoc satis est, vt in illa via duplicem illum respectum debeamus concipere, scilicet a principio, & ad terminum, vt ibidem D. Thomas facetur. Ergo haec vna via, vt est a principio, est origo actiua, & vt ad terminum passiuua, tota vero identificatur cum termino producto, secundum rem.

4. *Quarta.* Quarto argumentor ex eodem Diuo Thoma dicta quaestione quadragesima dicente: *Origo significatur vt via a re, vel ad rem, & generatio significatur vt via progressionem realem a generante,* ergo in suo conceptu includit distinctionem realem a generante, per quamdam oppositionem originis. Quia non solum terminus, sed etiam ipsa origo habet hanc oppositionem, quae in hoc solum consistit, quod est esse ab alio, ergo non potest identificari cum propria relatione personae producentis. Confirmatur explicando quomodo verum fit, actionem, & passionem dicere eandem viam cum duplici respectu. Non enim intelligendum videtur,

vt alij auctores significant de respectu causae, & effectus, ita vt actio inuoluat relationem causae, passio relationem effectus, sed potius intelligendum est de duplici habitudine, quam ipsamet mutatio, seu via in se intrinsece includit, ad principium & ad terminum, vt motus localis, verbi gratia, est a virtute mouente, & ad vbi. Et ideo nunquam videtur posse concipi, quod relatio, quae in causa, vel principio agendi resultat, aut existit intrinsece, habeat rationem actionis, quia actio vt sic, potius respicit ipsum principium, tanquam egrediens ab illo. Vnde potest etiam notari alia differentia, quod via comparatur ad agens tanquam quid extrinsecum, vel distinctum in re, quia ab illo egreditur, ad terminum autem tanquam ad aliquid extrinsecum, in quo manet, & ideo non ita necesse est, viam ipsam vt actionem a termino distingui.

Atque hinc sumitur noua ratio, quia actio vt actio non recte concipitur, vt realiter distincta a termino producto, vt inductione patet in omnibus alij actionibus: ergo neque origo actiua a suo termino distincta est: ergo non est adaequate idem cum relatione producentis. Item & conuerso, cum actio procedat a supposito, non videtur posse esse idem adaequate cum forma constituente ipsummet suppositum. Tandem confirmantur haec omnia in spiratione actiua, quae, quatenus relatio est, seu proprietates communis Patri, & Filio, subsequitur productionem Spiritus sancti: ergo non est talis productio illamet relatio, alioqui supponeret illam.

Propter haec ergo posset excogitari alius dicendi modus nimirum, Generationem actiuam realiter esse idem cum Filiatione, sicut in creaturis generatio est idem realiter cum persona producta, & consequenter generationem, & natiuitatem non esse res distinctas, sed eandem Filiationem, quatenus in via concipitur, prout egrediens a Patre, esse generationem, & distingui realiter a Patre, quia ab illo realiter fluit, vt vero tendit ad Filium esse natiuitatem. Ac subinde generatio, & natiuitatem inter se non distingui quia non habent oppositionem, cum eadem via sit capax illius duplicis habitudinis. Eademque proportionem sentiendum esse de origine Spiritus sancti. Vnde etiam Diuus Thomas quaestione 2. de Potentia, articulo 5. ad vltim. in hoc sensu dixisse videtur, *Generatio Filij significat relationem per modum actionis, Filius per modum substantiae hypostasis.* Neque huic sententiae obstat, quod Pater dicatur distingui a Filio per generationem: quia non intelligitur distingui per illam tanquam per formam intrinsecam, & constituentem, sed tanquam per viam quasi extrinsecam, quae est ab ipso, quo modo etiam inter homines Pater dicitur distingui a Filio generatione. Consequenter etiam ad hanc sententiam dicendum est, generationem, & originem actualem Spiritus sancti distingui inter se realiter, quod significat Richardus in 1. d. 13. articulo primo, quaestione tertia. Neque id est inconueniens, quia productio Spiritus sancti manat a generatione Filij mediante termino eius, quod satis videtur, vt distinguantur.

In hac sententia sic declarata nihil inuenio erroris aut temeritatis, quia nihil habet, quod repugnet mysterio, & cum res haec solum videatur pertinere ad modum concipiendi nostrum, satis commode videtur illum explicare. Nihilominus vel ob hanc ipsam causam non videtur recedendum a communibus Theologorum sententia: quia non est verisimile, omnes inepte concepissemus, aut declarasse hoc mysterium, nec sine causa fuisse ita locutos. Dicendum ergo est, in hoc negotio non esse aequiparanda originem actioni creaturarum, cuius rei rationem multipliciter declaro. Primo, quia actio creata in re ipsa mediat inter principium, & terminum, & ideo cademet sub illa duplici habitudine concipi potest, hic a. in re ipsa nihil mediat inter personam producentem, & productam,

5. *Quarta.*

6. *Alia dicitur di modus proportionis.*

7a

ductam, & ideo non concipitur illa duplex habitudo, ut conueniens alicui via; vel notioni: sed solum ut conueniens ipsis personis secundum diuersas relationes. Secundo explicatur hoc amplius, quia loco illius dependentiæ, quæ in re creata esse solet inter terminum, & principium, est in diuinis personis vnus, & idem actus intelligendi, aut amandi, qui ex parte principij, est ratio producendi, & ex parte termini est ratio recipiendi, seu formalis terminus productionis & ideo habitudines, quæ in re creata solent comitari dictam dependentiam in hoc mysterio non sunt alia quam relationes producentis, & producti: ergo illæ etiam sunt, quæ debent concipi per modum originis actiua, & passiua.

8. Tertio est notanda ratio, quia ad intelligendam emanationem realem vnus personæ ab alia, necesse est, ut etiam intelligamus realem influxum personæ producentis in productum, quem influxum actionem appellamus. Hic autem influxus realis non potest intelligi in formali principio, quo vna persona aliam producit, ergo debet intelligi, quod sit ipsa met proprietates personæ producentis. Maior ex terminis videtur nota, quia sine reali influxu non concipimus processionem realem. Minor vero probatur ex differentia inter emanationes diuinas, & creatas. Nam in creaturis actio in re ipsa distinguitur non solum à principio quod, sed etiam à principio quo agendi, nam ab illo realiter fluit: In Deo autem hoc dici non potest, quia illud principium quo, est essentia, vt infra dicam, à qua nihil in re ipsa distinguitur, ergo non possumus concipere in Deo originem actiua, ut realiter fluentem à principio quo agendi, sed ratione tantum. Altunde vero, ipsum etiam principium quo producendi in Deo non est quid distinctum à termino producto, quod est etiam singulare in Deo. Ob quam causam non possumus etiam concipere illud principium quo, ut realiter, & quasi actiue influens in personam productam, cum sit intrinseca, & essentialis forma eius, ergo, ut intelligatur ibi realis influxus, recte concipitur ipsa actio productiua, ut distincta à termino adæquato in re ipsa, & consequenter idem in re cum principio. Sic enim intelligimus ex parte illius influxum realem in rem productam, qui non posset satis intelligi, si nec principium quo, nec actio ipsa distingueretur, in re ipsa à termino producto. Et hoc exitimo maxime mouisse Theologos, quorum sententia sic declarata facilis est: nam rationes dubitandi ex dicto fundamento sunt soluta.

## CAPVT III.

*Sint ne actus notionales necessarij, ac naturales.*

8. Hæc controuersia facilis est, & nulla est fere inter Theologos, si termini in titulo positi exponantur, quod probando veritatem, & soluendo obiectiones, breuius fiet: Et ideo Dico primo. Actus notionales non possunt non esse in Deo, neque aliter esse, quam sunt, & ita sunt necessarij. Assertionem censo esse certam de fide. Et probō, nam de fide est, personæ productas esse Deum, & non posse aliter se habere non sunt autem, nec possunt esse nisi per productiones, ergo productiones etiam non possunt non esse, neque aliter se habere. Secundo processionem sunt æternæ, non participatione, sed essentialiter: ergo immutabiles omnino, & per intrinsecam necessitatem essendi. Tertio declaro in singulis, quia generatio Filij est, ut sic dicam, opus naturæ, non voluntatis, ut omnia Concilia contra Arium definiunt, & tradit Diuus Thomas dicta quæstione quadragesima prima, articulo secundo, cum Hilario libro de Synodis. Propter quod dixit eleganter Athanasius oratio-

ne quarta contra Arium, *Pater non deliberat de Filio, ne de se ipso deliberare videatur.* Deinde Pater, & Filius necessario se amant, non enim potest summum bonum comprehensum non amari: ergo eadem necessitate Spiritum sanctum producent. Vnde Richardus de S. Victor. lib. 3. de Trinitate cap. 6. *Diuina persona, inquit, cum sit summe bonâ, non potuit velle carere Maiestatis suæ consortio.*

Sed contra, quia Concilium Toletan. 11. in confessione fidei dicit, *Patrem nec voluntate, nec necessitate Filium genuisse.* imitatum Augustinum libro 65. Quæstion. ad Orosium, quæstion. 7. & (quia dubium est, an ille liber sit Augustin) eandem sententiam quoad sensum habet 15. de Trinitate capite secundo. Respondeo, idem Concilium ibidem dicere, *Filium non posse separari à Patre, non ergo excludit necessitatem oppositam contingentia, seu potestati non essendi, sed necessitatem coactionis, quæ ab extrinseco provenire solet.* Quod etiam intelligitur ex Athanasio supra. Ariani enim inferebant. *Si Pater non genuit Filium voluntate, nolentem genuisse.* Quibus ipse respondet: *A quo nam necessitas Deo ascriberetur? id enim: quod oppositum est voluntati animaduertunt. id autem: quod alius est, non conspexerunt. Vt enim opponitur voluntati id, quod est præter animi sententiam. ita alius priusque voluntate est id, quod est secundum naturam.*

Dico secundo. Generatio Filij est actus mere naturalis, & à voluntate nullo modo procedit. In hac assertionem conueniunt etiam Theologi. Et prima pars est manifesta, quia naturalis actus dici potest, vel quia procedit ex principio determinato ad vnum, hic est enim modus agendi naturæ; vel quia per se primo tendit ad communicandam naturam, vntaturæ, seu essentia est; vtrumque autem horum conuenit huic actui. De primo constat ex præcedenti assertionem. De secundo dicitur infra tractando de Filio & generatione eius. Ergo merito dicitur actus naturalis. Addi potest ratio ex secunda parte assertionis: nam actus à principio intrinseco, & non à voluntate, à natura est.

Probat autem secunda pars assertionis à Diuo Thoma quæstion. 41. articulo 2. quia quæ sunt à voluntate possunt esse, & non esse: generatio autem Filij non potest non esse: ergo. Quæ ratio probat optime de voluntate libera libertate in differentia, quo sensu est illa pars de fide, ut constat ex prima assertionem, & ex Concilio, quæ in hoc sensu damnant Arium dicentem, *Patrem voluntate sua Filium produxisse, sicut mundum.* Hoc enim plane repugnat Diuinitati Filij. Posset autem aliquis dicere, *Patrem voluntatis actu necessario voluisse generare, & ideo genuisse, ac proinde generationem hanc esse à voluntate applicante ex necessitate potentiam generandi.* Quod indicasse videtur Richardus de sancto Victore libro tertio de Trinitate capite sexto, nam cum dixisset. *Non potuisse Patrem velle carere Maiestatis suæ consortio:* subdit: *Quod autem voluit necessario habet.*

Nihilominus etiam hoc modo certum existimo, non esse Filium à voluntate. Quod recte significauit Concilium Toletanum vndecimum, & Augustinus supra, cum dixerunt. *Nec voluntas sapientiam præuenit.* Quæ verba rationem etiam continent statim tractandam. Nunc aliter probatur: nam actus mere naturalis, qui non est à voluntate eliciente, etiam non est ab alia imperante, sed hic actus est mere naturalis, ut ostensum est, & non est à voluntate eliciente, ut etiam est de fide, ergo neque est à voluntate, ut imperante, seu applicante: ergo nullo modo est à voluntate, etiam ut necessario volente. Maior constat, tum inductione in omnibus agentibus naturalibus, tum ratione, quia natura quatenus determinata ad vnum, ex se est sufficienter applicata: & ideo non indiget applicatione quasi extrinseca voluntatis. Imo in Metaphysica, tractando de diuino intel-